

peratoris, quod monachis Hirsaugiensibus tradidit, et Gerungum praedictum reverendissimum virum in primum abbatem cum fratribus accepit. Fuit autem Gerungus, sicut diximus, homo sanctae conversationis, et cum ecclesia Romana et Christi vicario bene sensit, multas persecutiones et injurias a servis et amicis Henrici imperatoris 5. patrem suum imitantis et excommunicati toleravit. Quicumque autem hujus viri merita plenius scire desiderat, vitam et gesta S. Paulinae saepius dictae legat.

Nicolaus de Siegen (p. 298 sq. Wegele). : Oedalricus. : Hic fuit monachus Hyrsaugiensis in omni regulari disciplina perfectus, quem filius Pauline de Hirssawia attulit et ad cellam matris sue perduxit. Erat enim cognatus Gerungi et vir temporalis ac spiritualis, sciens proferre nova et vetera, qui eciam viro Dei Gerungo defuncto in regimine celle successit. Cui reges et principes et eciam plures nobiles ad eundem locum conversi, qui quoque sua tradicionem se et sua beate Marie et sancto Iohanni obtulerunt. Inter quos fuit Lampertus, cognatus atque consangwineus sancte vidue Pauline. Qui Lampertus hic primo post obitum patris sui scilicet Wernheri et obitum Gerungi abbatis valde fratribus in cella restitit, ad iudicium vocavit, vexavit. Tandem penitens omnia reddidit, ablata restituit, et monachus in cella effectus vitam suam religiose finivit. [Et nota hic o mi lector perdilecte etc. etc.].